

tentiae, sive *eleemosyna* seu opera caritatis, sive *oratio*, seu opera religiosa. Omnia enim habent rationem operis satisfactorii, ut de oratione dicit S. Th. (Suppl. q. 15. a. 3. ad 1) : " Dicendum quod quaelibet oratio habet rationem satisfactionis, quia, quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis. " Sed cavendum est ne poenitentibus ea imponantur quae minus cum eorum condicione, consuetudinibus, dispositionibus, etc., convenient, ex. gr. eleemosynae pauperioribus, jejunia debilioribus, etc. Speciatim haec notentur :

1º Nihil obstat quominus capacibus imponantur opera mere interna, ut meditatio. Oritur quidem aliqua difficultas opinantibus aetus poenitentis esse proprie materiam ex qua sacramentum fiat : non enim apparet quomodo talis satisfactio sit sensibilis. Sed cum contraria opinio sua probabilitate non careat, neque periclitetur valor sacramenti, nihil obstat quominus juxta illam agamus. Cfr. S. Alph. n. 514 ; Ball. P. n. 496.

2º Licet confessario tamquam poenitentiam imponere abstinentiam ab aliquo bono opere, et speciatim a communione, quando constat id expedire ad majus bonum poenitentis. Id quandoque constare posse de communione, sequitur ex dictis n. 195. Reapse tunc bonum opus impositum consistit in actu humilitatis et oboedientiae quem poenitens ponit abstinendo. Sed monent DD. (Lugo, disp. 25. n. 65 ; S. Alph. n. 514) regulariter non expedire ut praecipiatur abstinentia a communione, immo rarissimum esse casum quo utiliter praecipiatur ; insuper, a tali injunctione temperandum esse, quando omissione communionis posset aliis occasionem praebere judicandi eam a confessario fuisse prohibitam. Cfr. n. 392.

3º Poenitentiam publicam non licet imponere pro peccatis occultis : siquidem id per se dicit ad revelationem indirectam confessionis (n. 380), et a Rit. Rom. (tit. III. c. 1. n. 21) prohibetur. Si vero eadem pro peccatis publicis imponeretur, id non foret contra legem sigilli sacramentalis : siquidem, cum jam notum sit peccatum, nihil manifestaretur nisi resipiscientia. Raro tamen tamel poenitentiam imponere expedit, nisi sit necessaria. Necessaria autem erit tantum quando jam aliunde urget obligatio eam praestandi ; puta si quis publicas inimicitiias gessit ideoque ad publicam reconciliationem cum inimico suo obligatur ; si quis notus ut impius vel franco-murator jubetur publice adire ecclesias et sacramenta frequentare, ut se christianum fidelem omnibus probet. Tunc sane applicandum quod monet Trid. (Sess. 24. de ref. c. 8) iis qui publice cum aliorum scando deliquerint, poenitentiam publice injungendam esse : quae tamen lex de foro externo intellegenda videtur. (Ball. P. n. 493)

4º Potest saepe utiliter imponi poenitentia sub condicione relapsus,

ex. gr. brevis oratio dicenda post singulas blasphemias. Putat S. Alph. (n. 524), post Salmant. (de Poenit. c. 10. n. 38), semper addendam esse aliquam poenitentiam absolutam, ne forte sacramentum omni satisfactione destituatur. Attamen multi alii AA. ut Laymann (de Poenit. c. 15. n. 11), talem restrictionem non apponunt, vel diserte negant (Ball. P. n. 524), et merito : nam si homo non relabatur, aderit nihilominus aliqua satisfactio, scil. specialis conatus adhibitus ad cavendum a lapsu.

5º Generatim abstinendum ab imponendis poenitentiis quae confessionem odiosam reddant, et poenitentem cogant ad peccata sua aliis manifestanda, ut si pueri obligentur ad veniam petendam ob inobedientiam vel furtula. (Gury, II. n. 526)

315. V. Poenitentiam a se impositam **commutare** potest confessarius qui eam injunxit, etiamsi jam prioris confessionis ne confusam quidem memoriam retinet : hanc enim satis colliget e gravitate et qualitate poenitentiae impositae. Neque necesse est ut poenitens apud eum novam confessionem de aliis peccatis instituat : siquidem ea commutatio moraliter unitur cum praecedente confessione, ideoque fit reapse in judicio sacramentali.

Controvertitur inter DD. quantum temporis spatium intercedere possit inter hanc confessionem et commutationem. S. Alph. (n. 529. dub. 3) censet verius id posse admitti tantum si fiat statim post absolutionem, antequam poenitens discedat, quia tunc tantum videtur moraliter perseverare idem judicium. Sed probabilis dicendum cum aliis (Lugo, disp. 25. n. 112; Ball. P. n. 334) etiam post longum tempus posse hanc commutationem fieri. " Nam ipsa satisfactio impleta post longum tempus integrat unum judicium cum partibus praecedentibus, ut constat ; ergo, quamdiu satisfactio non est posita, adhuc intellegitur judicium illud incompletum et quasi suspensum, et adhuc judex jus habet ad urgendum pro executione sententiae : ergo adhuc poterit ex consensu poenitentis mutare vel diminuere priorem sententiam, ut melius possit executioni mandari. " (Lugo, l. c.)

316. VI. Poenitentiam ab uno confessario impositam potest, ex justa causa, commutare vel minuere alias confessarius, saltem ubi eorumdem peccatorum confessionem iterum audivit. Id sequitur e facultate modo asserta eidem confessario (V) : nam, cum ambo sint eadem auctoritate praediti sibique in eodem munere et tribunali succendant, poterit posterior confessarius idem quod potuisset prior si ad eum poenitens recurrisset. Neque excipiendae sunt (ut quidam voluerunt) poenitentiae medicinales, nisi ex iis essent ad quas poenitens independenter a positivo confessarii pracepto obligatus esset, puta ad vitandam proximam

peccandi occasionem. Nam reliquas, quae utiles quidem sunt, sed non prorsus necessariae ad poenitentis emendationem, libere prior confessarius imposuit: unde et posterior eas commutare poterit, si judicat jam non opus esse ut ex obligatione imponantur poenitenti, sive ob ejus emendationem, sive ob timorem ne eas omittat. (Lugo, disp. 25. n. 114 seqq.)

Excipliunt plerique (Lugo, l. c. n. 104 seqq.; S. Alph. n. 529. dub. 2) poenitentiam impositam pro peccatis reservatis, quando commutatio petitur a confessario qui non habet facultatem ab iisdem reservatis absolvendi. Rationem afferunt valde stringentem: nihil posse inferiorem in legem latam a superiore. Nihilominus quidam DD. ut Navarrus, Vasquez, etc. quorum doctrinam tamquam probabilem refert Ball. P. (n. 532), censem etiam in iis adjunctis licitam esse commutationem. Nituntur hac ratione: ablata per primam absolutionem reservatione, jam illa peccata remanere perinde ac si reservata non essent; unde, si poenitens ea iterum inferiori confessario subjiciat, is poterit de iis judicare perinde ac de non reservatis, ac proinde poenitentiam commutare. Ad proxim autem sufficit sententia, quam etiam S. Alph. (l. c.) probabilem dicit: hanc commutationem licere, si gravis detur causa, neque facilis sit accessus ad superiorem; quia tunc inferior prae sumere potest convenientiam superioris. Idem merito extendit Ball. P. (l. c.) ad casum quo sola causa commutationis esset fragilitas poenitentis et adiri posset superior. Superior enim supponendus est vir prudens: qui, si compriisset hanc poenitentis imbecillitatem, id ipse fecisset, et idecirco non renuit ut (quod natura rei postulat) ab alio fiat, etiam se non consulto.

Alter confessarius nequit sane commutare poenitentiam extra confessionem: is enim actus est, e potestate clavium, judicialiter ponendus; sacerdos autem nequit actu judicium sacramentale exercere extra confessionem. Oportet ergo ut haec commutatio conectatur cum absolutione, vel statim, vel post aliquod tempus concedenda. (Lugo, l. c. n. 110) Controvertitur vero num in ea confessione repetenda sint peccata pro quibus poenitentia fuerit imposta. Plerique AA, affirmant requiri ut saltem praecipua peccata repeatantur, quantum sufficiat ad habendum confusam notitiam status poenitentis: quia, causa non cognita, non potest sacerdos sententiam proferre vel priorem sententiam mutare. (Lugo, l. c. n. 108) Alii, quorum doctrinam S. Alph. (n. 529. dub. 1) satis probabilem dicit, negant hanc obligationem: quia in hac secunda confessione non agitur de judicio ferendo super culpis delatis in confessione praecedenti, ubi judicium jam fuit informatum, sed tantum de poenitentis impotentia sive imbecillitate ad poenitentiam implendam. Ut autem observat Ball. P. (n. 536), cum omnes hic supponant dari huic alteri

confessario cognitionem poenitentiae, jam necessario habebitur aliqua notitia confusa status poenitentis: ac proinde jam nulla videtur esse inter DD. oppositio. Sed multi, ut Lugo (n. 110), sane magis distinctam notitiam postulant, neque valde verisimile appetit quod in hac explicazione cum S. Alph. (n. 502) asseritur: ex ipsa notitia poenitentiae posse confessarium efformare judicium de statu poenitentis. Attamen, addita nova confessione, jam magis innotescet confessario status animae poenitentis. Ergo practice nihil amplius exigendum. Adverte, cum S. Alph. (n. 529), confessarium, ubi audit poenitentem non implevisse poenitentiam, nec facile impleturum esse, posse illam etiam non pelenti commutare.

Probabilis, ut tollatur obligatio prioris poenitentiae, requiritur ut confessarius eam velit commutare et tollere: nam sententia prior manet in suo robore donec ab alio judice revocetur. (Lugo, disp. 25. n. 103) Alii tamen, ut Suar. (disp. 38. sect. 10), sentiunt integrum esse poenitenti qui iterum peccata confessus sit, quam maluerit poenam eligere: quia haec est judicii sacramentalis natura ut super eamdem causam sit iterabile in favorem poenitentis, idque non per modum appellationis, sec per modum novi judicii aequalis praecedenti.

§ 2. OBLIGATIONES POENITENTIS CIRCA SATISFACTIONEM SACRAMENTALEM.

317. I. Poenitens obligatur ad poenitentiam acceptandam et implendam, et haec obligatio ex genere suo est gravis.

Deducitur praesertim ex Trid. Sess. 14. c. 8. (cit. n. 312) Nam obligatio gravis in sacerdote imponendi poenitentiam, eamque peccatis proportionatam, necessario supponit, in poenitente obligationem eam acceptandi et implendi: quae obligatio gravis sit, si talis fuerit et poenitentia. Secus enim non fieret alienorum peccatorum particeps sacerdos qui levissimam poenitentiam pro gravissimis delictis impuneret, cum nihil aliud faceret quam quod poenitens jure suo fieri vellet. (Lugo, disp. 25. n. 69)

Attamen nulla culpa in eo appetit quod poenitens recuset poenitentiam quae, spectata disciplina hodie recepta (n. 312), sit manifeste irrationabilis aut nimia. Immo, ut notat Ball. P. (n. 504), vix practicus est casus poenitentis graviter peccantis eo quod poenitentiam acceptare nolit. Nam aegre occurret qui velit omnino absolvi cum poenitentia leviore, dum confessarius omnino recuset eam moderari. Etenim fere semper poenitens recedet, absolutionem apud alium confessarium quaesitum: quia in re probabiliter (Lugo, l. c. n. 77) non committit peccatum grave,